



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz
Toletani è Societate Iesv**

Álvarez de Paz, Jacobo

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. III. De Virtute Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)

sentire; sed quia hic non tam speculationem, quàm opus quærimus, & ad doctrinam sanctè viuendi tradendam, quædam fuerunt, pressius, quædam latius, quædam tantisper immutato ordine declaranda.

DE VIRTUTE
Fidei.

CAPVT III.

FIDES, prima est virtutū Theologicarum, non dignitate, sed infusione, quia intellectum afficit, cuius, actus voluntatis actionem præcedit: & quia fundamentum est reliquarum virtutum ianuaque spiritualium bonorum; nam prius Deo credimus, quàm ipsum amemus, & per legis obseruantiam eius iussis obsequamur. Huic meritò quatuor dona seu affectus adiungimus, nempè meditationem, contemplationem, contemptum sæculi, & cordis puritatem: Nam qui credit, intelligentiam cupit creditum,

rum, & hoc desiderium intelligentiæ ad inquisitionem mouet, in qua est meditatio: Inquisitio pia veritatem inuenit, in eaque cum exultatione quiescit, & hæc est contemplatio. Veritas inuenta docet, quàm vilis sit mundus, & eius despicientiam generat, in qua est contemptus sæculi. Despicientia autem sæculi ad inhæSIONEM vocat, qua inhæremus Deo, & in hac consistit puritas cordis. De his ergo agendum est.

De Fide § I.

Fides, est virtus intellectus Theologica, qua assentimur mysterijs reuelatis, propter auctoritatem reuelantis Dei. Quam definiuit Paulus dicens: *Est sperandarũ rerum substantia, argumentum non apparentium.* Ac si diceret: Fides est fundamentum & quasi basis eorum, quæ à Deo speramus, & certitudo ac conuictio intellectus, qua certissimè his, quæ visa non sunt, adhæremus.

Heb. 11. 1.

Incita-

DE VIRTUTE FIDEI

Incitamenta ad fidem sunt. I. Ecclesia Catholica, sponsa Dei, in Christo, tanquam in fundamento, fundata, columna veritatis, quæ nec fallere potest, quia fidelis est, nec falli, quia à Deo docta & gubernata est. Hæc, cui Christus semper assistit: *Nam & ego, inquit, vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi.* Hæc à qua Spiritus Sanctus nec ad momentum vnquam discedit: *qui postquam venit, docuit eam omnem veritatem.* Hæc summa scientia illuminata, sacris libris locupletata, traditionibus Apostolicis, consilijs & decretis summorum Pontificum ditata tanti ponderis est apud quemque sapientem, vt infallibiliter teneat, à Deo dicta esse, quæ ipsa tanquam Dei dicta proponit, à quibus omnem falsitatem abesse, certissimè intelligit.

II. Multitudo earum ratiocinationum, quæ res fidei euidenter credibiles faciunt. Cuiusmodi sunt Prædictiones Prophetarum; testimoniū Martyrum; multitudo miraculorum: attestatio aduersariorum aut fidelium:
puritas

Matt. vlt.
20.

Joan. 14.

puritas legis Euangelicæ: mirabilis
 eius cum ratione concordia: omni-
 um mysteriorum huius legis summa
 consensus: mundi conuersio: ratio
 fidei propagandæ per Apostolos ig-
 nobiles, idiotas, inermes: vis fidei
 in afficiendis, & mutandis animis:
 sanctitas & sapientia eorum, qui fi-
 dem tradiderunt: vita illibata eo-
 rum, qui eam recipientes, se eius præ-
 scriptis accommodarunt: stabilitas
 Ecclesiæ inter persecutiones: ciades
 eorum, qui eam oppugnarunt, & an-
 tiquitas sacrorum librorum. His ad- *Psal. 92.*
 mirata mens hominis dicit: *Quo- 7.*
niam testimonia tua Domine credibi-
lia facta sunt nimis: quibus licet non
 visis assentiri, summa sapientia est,
 & reluctari, damnabilis imprudētia.

III. *Necessitas Fidei, sine qua, vt*
inquit Paulus, impossibile est placere *Heb. 11. 7.*
Deo. Et eius dignitas, quam habet à
 Christo, filio Dei, tanto ante tēpore
 prænunciato, & tam miris sapientiæ,
 sanctitatis, & potestatis donis insig-
 nito, qui res fidei docuit à rebus sub-
 limissimis, quas tradit à mutati-

C one

49 DE VIRTUTE FIDEI
one animorum, quam efficit.

Actiones fidei sunt: I. Summittere mentem hominis cum magna simplicitate & humilitate Deo, per Ecclesiam, per Scripturam, per Traditiones, per Concilia, & per Pontificum Decreta, loquenti.

II. Assentiri articulis fidei tum ad diuinitatem, tum ad humanitatem pertinentibus, & cæteris reuelatis à Deo, propter auctoritatem ipsius Dei.

III. Considerare Deum, in sacramentis, & in ceremonijs Ecclesiæ, animas sanctificantem, & dona spiritualia inuisibiliter operantem.

IV. Confiteri res à Deo reuelatas, instante omnium miseriarum atque etiam mortis periculo, in conspectu regum, fidem oppugnantium, & non confundi.

V. Aperire res fidei per exhibitionem doctrinæ, ut alij rudiores eas teneant.

VI. Fugere hæreticos, ut pestes animarum, ut hostes æternæ salutis, ut filios diaboli.

VII. Auersari omnem doctrinam minus

CAPVT III.

56

nus syncerā, minus purā, minus san-
ctorū, & Ecclesiæ sensui conformē.

Postulatio fidei. Domine Iesu Chri-
ste, fidei author & consummator, qui
nos ad gremium S. Ecclesię spōsę tuę,
& matris nostrę, sprete multis mil-
libus hominum infidelium euocasti,
& ad pusillum gregem, cui, compla-
cuit Patri, dare regnum cœlestē, per-
tinere fecisti: auge in nobis fidem à te
semel infusam, & sine vlla intermis-
sione seruatā, & vitā fidei aptā, scili-
cet ianctam, & tui imitatricem, con-
cede vt aliquādo fidei cōsummatio-
nē, nēpē glorię claritatē, assequamur.

De Meditatione. S. II.

Meditatio, est rerum fidei attē-
ta & humilis inuestigatio, vt
eius prasidio ad bonū ample-
ctendum, & malum fugiendum moue-
atur. Adiungitur fidei iuxta illud *Hebr II.*
Pauli: Fide intelligimus aptata secu-
la verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia
fierent. id est fides mouet ad intelli-
gendum, omnia transitoria con-
dita esse per verbum Dei, & ex in-
formibus, facta esse formata, &
C 2 pul-

52 DE VIRTUTE FIDEI.
pulchritudine decorata.

Incitamenta ad meditationē sunt:
I. Meditationis ingens necessitas.
Nam sicut cibus stomacho ingestus,
non tamen digestus, non reficit, nec
roborat hominem, sed magis saluti
officit: ita mysteria fidei credita, &
quasi in intellectū transmissa, non ta-
men per meditationem digesta, pa-
rum vitæ mutationi proficiunt. Hinc
multi fideles, & pauci, qui secundum
leges fidei, suam vitam instituant.
Hinc inter bonos pauci spirituales,
& inter spirituales rari perfecti, quia
credita non euoluunt, & fide accep-
ta, non ruminant, vt illa in suos mo-
res vitamque transfundant.

Bern ser.
1. de San-
cto An-
drea.

II. Meditatio, comes est oratio-
nis fidelissima, cui feruorem peten-
di, & fiduciam impetrandi submini-
strat. Et, vt inquit Bernardus: *Ad sum-
mitatem scale, id est, ad fastigium per-
fectionis, duobus pedibus, meditatione,
& oratione conscendimus. Meditatio
siquidem docet, quid desit: oratio ne de-
sit, obtinet, illa viā ostēdit; ista deducit.
Meditatione deniq; agnoscimus immi-
nentia*

nētia nobis pericula, oratione euadimus.

III. Meditatione carentibus exprobat Dominus noster Iesus Christus, dicens: *Adhuc vos sine intellectu estis?* Illi namque absque intellectu sunt, qui res quidem fidei audiunt, sed quia eas non meditantur, nec cōsiderant, nunquam ad suæ vitæ emendationem intelligunt.

Actiones meditationis sunt: I. Rem meditandam, in certa puncta ac quasi membra distinctam, ex ore magistri spiritualis; vel ex libro ad id parato, vel ex ipsis sacris scripturis accipere.

II. Paulò ante horam ad meditandum destinatam, hæc eadem materiæ considerandę capita in memoriã reuocare, & breui iteratione præuenire.

III. Vnumquodque eorum membrorum intentè & quietè, ex causis, & effectis, vel ex aliquibus circumstantijs inuestigare & inquirere.

IV. Veritatem, disquisitione inuentam quemque ad seipsum, id est, ad animæ utilitatem, applicare.

V. Ex ea veritate, iuxta qualitatem

materiae meditatae, vel odium mali alicuius, vel amorem boni, vel pium alium affectum elicere.

VI. Colloquijs cum Domino habitis, & ignitis suspirijs, ac ardentissimis desiderijs ab eo mali illius discessum, seu boni aduentum, implorare, & abundantissimam gratiae mensuram ad morum emendationem deprecari.

Postulatio meditationis. Domine Iesu Christe, magister bone, qui animas ad te venientes sapientissimè erudis, & ex sapida cognitione ad sanctitatis amorem & experimētū prouehis; illumina oculos mentis meae, & vires cordis mei in vnum collige, vt legis tuae mysteria, dulciora super mel & fauum, ore intellectus gustem & deuorem, ac ventre voluntatis excepta, in meam conuersationem moreque transformem. *Reuela Domine Deus meus oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua;* vt illa considerata me afficiant, & meditata me moueant, & ad tui amorem, & vitae ~~mutacionem~~ me alliciant.

De

De Contemplatione §. III.

Contemplatio, est simplex in-
 itio veritatis, quæ ab amore in-
 choat, & ad Deum diligendum,
 & seculum despiciendum inclinatur. Ad-
 iungitur fidei, quoniam contempla-
 tio Christiana est de rebus à fide tra-
 ditis: secundum illud Pauli: *Non*
contemplantibus nobis quæ videntur,
sed quæ non videntur: Quæ enim vi-
 dentur, temporalia sunt; quæ autem
 non videntur, æterna. Fides etiam
 contemplatione, quæ actus est sapi-
 entia, roboratur, & ad despicien-
 dum mundum erigitur. Quare de
 Moyse dicitur, quod fide grandis fa-
 ctus prætulit thesauro Aegyptiorum,
 improperium Christi, quia aspicie-
 bat in remunerationem.

2. Cor. 4.
18.

Incitamenta cōtemplationis sunt:
 I. Pulchritudo Dei, & Christi, & re-
 rum æternarū, quæ oculo cōtempla-
 tionis videmus. Si enim magnæ vo-
 luptatis est, videre solē, lunā, & stel-
 las, & reliqua sē sui subiecta, q̄ oculis
 corporeis cernūtur; quāto delectabi-
 lius erit, Deū & cęlestia contēplari?

C 4

II.

Albert.
de virt.
cap. 13.

II. Inducere nos debet, inquit Albertus, suauitas, quæ in contemplatione percipitur; admirabilis perfectio, quæ ibi addiscitur: principium omnis beatitudinis, quod ibi reperitur. Fons enim omnis beatitudinis, summus Deus, ibi cognoscitur; & quod verè cognoscitur, hoc amatur; & quod verè amatur, hoc desideratur, & pro eo obtinendo laboratur; & pro quo studiosè laboratur; hoc tandem acquiritur, cumq; acquisitum fuerit, cum delectatione interminabili possidetur.

Greg. 6.
mor. c. 73.

III. Exemplum Christi Saluatoris nostri, qui, vt notauit Gregorius, noctes infomes ducebat, in eisq; orationi Dei, id est, altissimæ contemplationi, operam dabat. Exemplum item Apostolorum, quorum conuersatio, teste Paulo, in cœlis erat, nec solitudine omnium Ecclesiarum impediabantur: exemplum tandem omnium Sanctorum, qui ita contemplationi addicti fuerunt, vt hanc suam hæreditatem, ac præcipuam possessionem esse, ipso opere testarentur.

Acti-

Actiones contemplationis sunt : I. Relictis omnibus exterioribus, intellectu, & affectu, ac sepositis cunctis discursibus. & ratiocinationibus, in simplici Dei notione quiescere. Quam, quia actio quædam uniformis est, comparat Dionysius *motui circulari*, propter ipsius motus uniformitatem.

Dion. c. 4 de diu. nom.

p. 1.

II. Ex cognitione rerum exteriorum aut sensibilium, ad notitiã intelligibilem, & præcipuè ipsius Dei, peruenire, ibiq; sine discursu silere. Quæ quia procedit de vno in aliud, comparatur motui recto, quo corpus mouetur à loco deorsum in locum sursum, vel è contrà.

III. Ex vna re cognita, vt ex toto, aut ex contrario, ad alterius cognitionem, vt ad notionem partis, vel alterius contrarij, ratiocinando peruenire, ibique intellectu quiescere.

Quæ comparatur motui obliquo. Et secundum diuersa, quæ cognoscuntur, ex alijs diuersi motus obliqui contemplationis assignantur, vt videre est in Ricardo, lib. i. de contemplatione. cap. 5.

Ricardus lib. 1. de contempl.

cap. 5.

§7 DE VIRTUTE FIDELI.

IV. Ex parte materiae contemplatae, multae actiones contemplationis assignantur. 1. versatur circa diuinam maiestatem eiusque attributa. 2. circa Christi Saluatoris vitam & mortem. 3. circa beneficia diuina. 4. circa nobilitatem patriae coelestis. 5. circa sanctorum, & totius Ecclesiae virtutes & dona. 6. circa essentiam & proprietates rerum creatarum. 7. circa nosmetipsos, & si quae sunt alia, quae ad haec capita non referantur, de quibus suo loco plenius dicetur.

1. Petri.
Psalm.
144.

Postulatio contemplationis. *Domine Iesu Christe, Deus & homo, qui qua Deus, ipsa pulchritudo es, & qua homo, in quem desiderant Angeli prospicere, & speciosus forma praefilijs hominum, perfice fidem, a te nobis infusam, dono sapientiae tuae, & quatenus nobis expedit, donum contemplationis attribue, vt dum te summum bonum nostrum, & summum pulchrum esse cognoscimus, te ardentissime amemus, & nosmetipsos ac omnia visibilia contemnamus. Amen.*

De:

De Contemptu sæculi. §. IV.

Contemptus sæculi est abrenun-
ciatio tum exterior, qua fit ope-
re, tum interior, qua fit volunta-
te, omnium visibilium, propter amo-
rem Dei. Adiungitur fidei, iuxta illud; *Hebr. 11.*
Sancti per fidem deuicerunt regna. Et 33.
rursus: *Hæc est victoria, qua vincit*
mundum, fides nostra.

Incitamenta ad contemptum sæ-
culi, sunt i. Amor sæculi & amor Dei,
termini contrarij sunt; quod signifi-
cant illa verba Iacobi Apostoli: *A-*
micitia huius mundi, inimica est Dei. *Iacobi.*
Quicumque ergo voluerit amicus esse *4.4.*
sæculi huius, inimicus Dei constituitur.
Quare sicut qui vult locum superum
tenere, debet necessariò infimum lo-
cum relinquere; ita qui cupit ad Dei
amorem ascendere, debet per contemp-
tū sæculi ab eius amore separari. Nō po-
test quis simul esse in luce, & in tene-
bris, nec simul frigore rigere, & ca-
lore magno ad omnē laborē solui. Nō
ergò poterimus amore sæculi, qui si-
cut frigus est ab omnib. bonis operib.

C. 6. impe-

60 DE VIRTUTE FIDEI.
impediri, & amore Dei, qui calor est,
ad virtutum actiones incitari.

I. Sæculum ignorantissimum est,
quod bonos deicit, malos exaltat:
bona fucata diligit, vera contemnit.
Immundissimum est, quod omnia
peccata continet, & pro bonis gestis
defendit. Infidelissimum est, quod
dilectoribus suis, & pro se laboran-
tibus, curas & angores in hac vita,
& in alia damnationem impertit:
non igitur meretur diligi, sed ani-
mosè contemni.

III. Incitat exemplum Christi
Iesu, qui paupertatem, & vitæ asperi-
tatem amavit, regnum temporale
fugit, & in omni humilitate manere,
fallaci rerum mundanarum gloria
prætulit.

Actiones contemptus sæculi sunt:
I. Diuitias spernere, &, si à Deo spe-
ciali vocatione inuitemur, actione
relinquere.

II. Dignitates, tum sæculares, tum
Ecclesiasticas fugere: &, si ad eas ad-
mittendas à superioribus compella-
mur, non ex ambitione, sed ex deside-
rio

rio

rio obediendi, & diuinam voluntatem implendi, suscipere.

III. Honoribus & pompis sæculi valedicere, & ab eis tota contentione mentis abscondi.

IV. Voluptates & corporis ac sensuum delicias pro nihilo ducere, & tanquam res homine indignas auersari.

V. Propinquos & amicos, si animæ profectum impediunt, promptè deserere.

VI. Mores sæculares, & quicquid vanitatem sapit, promptè deponere.

VII. Cuncta visibilia despiciere, & nec minis, nec terroribus, nec suasionibus, nec laudibus, nec præmijs ad nimium eorum amorem inclinari. Imitantes Paulum, cui omnia uoluerunt. Dicebat enim: *Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, Philip. 3. vt Christum lucrifaciam.* 8.

Postulatio contemptus sæculi.
Domine Iesu Christe, qui es thesaurus inexhaustus & infinitus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, quiq; me ad te

62 DE VIRTUTE FIDEI.

cognoscendum, amandū, & diligendum creasti, miserere, obsecro, mei, & vincula amoris sæculi rūpe, & catenas concupiscentiarū, quibus illigor, tua immensa potestate dissolue, vt te bonum vnicum meum sitiam, & ob ementita bona, nunquā à te, omnium bonorum authore, discedam. Amen.

De Puritate cordis §. V.

D. Thom.
2.2 q.7.
art.2.

Puritas cordis est cogitationū, affectionū, sermonū, operumq; munditia. Ad iugitur fidei, quoniā impuritas in hoc consistit, vt Thomas ait, quòd res aliqua vilioribus immiscetur. Per fidem autem anima cū Deo inhæreat, sicut per iustitiæ principium fit, vt à rebus terrenis separetur, vnde & quod pura ab earum cōtagione subsistat. Et ideo ait Petrus in Actis: *Fide purificans corda eorum: & Paulus: Sanctificatus est vir infidelis per mulierem infidelem, &c.*

Actor. 15.
9:
1. Cor. 14.

Incitamenta ad puritatem cordis sunt I. Munditia corporis & vestimentorum, homini eam curanti, est iucunda, & salutaris, & alijs cum eo

con-

conuersantibus existit gratissima, ergo multò magis mūditiā cordis. Hęc enim morsus & increpationes cōscientiæ tollit, quæ internam iucunditatem auferunt: peccata reijcit, quæ animæ sanitatem tollunt, & Deum ac Angelos ad animæ puræ amorem inuitat.

II. Puritas cordis oculos aperit mentis, vt Deū contēplari possit. *Nā Matth. 5. beati mundo corde, quoniam ipsi Deū & videbunt.* Et sicut sol nubibus nō impeditus, hęc inferiora illuminat, & calore fouet: ita sol iustitię, Christus, animam per cordis puritatem ab affectibus mundā sapientia illustrat, & calore diuini amoris viuificat.

III. Mouet exemplum Christi, *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Quique dicitur *1. Petri.* candor lucis æternæ, speculum sine macula, & imago bonitatis illius.

Actiōnes puritatis cordis sunt: Amorem rerū visibilium, vt honorum, diuitiarum, voluptatum, deponere.

II. Affectum nimium erga seipsum, & erga

64 DE VIRTUTE FIDEI.

& erga vitam hanc, & salutem temporalem, abijcere.

III. Cogitationem à malis & vanis apprehensionibus emundare.

IV. Immunem se à peccatis, tum grauibus, tum leuibus, custodire.

V. Mète Deo & cęlestibus inhęrere.

Postulatio puritatis cordis. Domine Iesu Christe, exemplar puritatis, & fons vniuersę munditię, cuius sanguis emundat nos ab omni peccato: impuritatem nostram, qua terrenis cupiditatibus immiscemur, & tibi displicemus, expelle, nosque cogitatione, affectu, & operatione purifica, vt tibi intellectu, affectu, & imitatione inhęrētes, qui nostra mūditiā es, & terreni hominis imaginem deponentes, cęlesti pulchritudine decorēmur. Amen.

DE VIRTUTE

Spei.

CAPVT IV.

SPES immediatē sequitur Fidē, nam ea quę fide credimus nempe, posse nos ad æternam beatitudi-